



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Vniversalis Historiæ Ecclesiasticæ Medvlla

Pareus, Daniel

Francofurti, 1633

Scholastici Doctores.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64973)

cissim citavit, & cum non comparerent, dignitatibus cunctis eos priuavit. Ne vero detrectare Concilium videretur, aliud Romæ celebrandum fallaciter indixit, quo durante adhuc, ex hac vita decessit, anno 1513 die 21. Febr. Successit Leo Decimus Florentinus, antea Iohannes Medices dictus, sub quo incœpit docere Martinus Lutherus.

SCHOLASTICI DOCTORES.

Guilmundus ex Monacho Archiepiscopus Gauerlanus factus, Berengario certamine, Capernaita crassissimus, post Lanfrancū Berengarii doctrinam impugnauit.

Anselmus, Lanfranci discipulus, Archiepiscopus Cantuariensis in Anglia, Wilhelmum Angliæ Regem, ob Ecclesiastica bona, quæ in fiscum suum redigebat, obiurgauit, & propterea in exilium ire iussus est. Sed reuocatus tamen in Angliam rediit, summa totius populi gratulatione, à Regina & optimatibus perhonorifice exceptus. Clericorum coniugia ad id vsq; temporis in Ecclesia Anglicana passim vsurpata, homo cæteroquin bonus ac sanctus, magna vi prohibuit. In languorem tandem incidit apud Cœnobium Edmundoburgi, vnde Cantuariam deportatus, æger longo tempore decubuit, & Aprilis die 28. anno Christi 1109. ætatis 76. vitam cum morte commutauit, cum sedisset Archiepiscopus annos 19. Collocata sunt ossa eius ad caput antecessoris sui Lanfranci, sed amota postea ad Orientalem illam parrem Ecclesiæ, quæ structura magnifica multum ille auxerat & ornarat.

Opera ab illo exarata non opus est commemorare. Christiano orbi satis nota sunt, & à studio-
sis vbique leguntur.

Petrus Cluniacensis, Abbas istius loci, fuit
æqualis Bernhardi.

Hugo de S. Victore, natione Saxo, profes-
sione Carthusianus parisiensis, illustri laude erudi-
tionis celebratus, scripta plurima reliquit, mor-
tuus anno Christi 1140.

Richardus de S. Victore, amicissimus Ber-
hardi & Hugonis, natione Scotus, Monachus
parisiensis, ambitione tanta fuit, vt in Theolo-
gia prophetis & Apostolis sese anteposuerit. Al-
legoriis plæraq; inuoluit, & superstitiones non
solum approbavit, sed etiam auxit. Mortuus est
anno Christi 1148. & sepultus parisiis in templo
S. Victoris. Sepulchro luculentum in laudem e-
ius pentastichon inscriptum est, quod refert Ba-
ronius ad annum 1140. posteuo dicitur Ri-
chardus Anglicus. præter plurima, quæ sacram
spectant Theologiam, Chronicon posteritati
reliquit, quod à primordiis ad sua vsque tempo-
ra perduxit.

Huc aliqui referunt Gratianum, Bononien-
sem Monachum, authorem voluminis Decre-
torum, quod ex diuersis patrum sententiis, de-
cretis, & scriptis variis compilauit, & ad papam
Eugenium Tertium attulit, à quo etiam appro-
batum illud est, & vt publice prælegeretur, con-
cessum. Volumen illud dictum est postea decre-
tum Gratiani, siue ius Canonicum.

Gratiani exemplum ad imitandum sibi pro-
posuit

posuit Petrus Lombardus, ex Scholastico factus
 Episcopus Parisiensis; sed in dissimili plane ar-
 gumento. Nam in Theologia versari ipse ma-
 luit, quam in forensibus, litigiosisq; quæstioni-
 bus. Itaq; Scholasticæ Theologiæ, qualis tunc
 erat, fundamenta in 4. libros, qui Sententiarum
 dicuntur, coniecit; ordinem illum in vniversi
 operis distributione secutus, qui in 4. libris Da-
 masceni de fide Orthodoxa, nunc quoq; appa-
 ret. Hi libri 4. fuerunt postea totius Scholasticæ
 doctrinæ velut basis & *κεφαλαι δόξαι*, vnde ipse
 Magister sententiarum vulgo in Scholis est ap-
 pellatus. Scripsit autem Lombardus circa annū
 Domini 1154. tanti habitus, vt aduersus eum ne
 hiscere quidem vllis licuerit. Nam quum post
 annum Domini 1190. Ioachimus Abbas Florē-
 tinus P. Lombardi sententiam impugnaret, ab
 Innocentio Tertio, statim Lateranensi Conci-
 lio, ad quod 1215. Prælati conuenerant, damna-
 tus est. De Petro Lombardo ita sentit & iudicat
 Lambertus Danæus, eum, si in feliciora tempo-
 ra incidisset, minusque corruptam fidei Chri-
 stianæ doctrinam didicisset, potuisse multum
 prodesse Ecclesiæ Dei. Fuit enim diligens & a-
 cutus: atque etiam sui operis instituendi scopus
 non modo honestus, sed etiam necessarius fuit,
 vt ex Augustini doctrina, ad quem vnum fere
 prouocat Lombardus, receptæ opiniones & e-
 mendarentur & iudicarentur. Porro autem hos
 sententiarum libros, primus omnium ausus est
 attingere, i. e. difficultates difficultatibus auge-
 re, Alexander Alesius, dictus de Ales; quem se-

cuti statim sunt in eodem argumento, & Commentariis in libros sententiarum scribendis: Iohannes de Rupella: Eustathius, qui & Bonaventura de balneo dictus est: Albertus M. Thom. Aquinas, Petrus de Tharantefia, Vdalricus de Argentina, Haimo Anglus, Iohannes Valens, Gulielm. Lugdunensis, Gulielm. Lamarensis, Ioannes de Parma, Hanibaldus Romanus, Henric. de Gandauo, Hugolinus patriarcha Constantinopolitanus, Richardus de media Villa, Bonaventura, Gulielmus Varro præceptor Scoti, Richard. de noua Villa, Ioannes Scotus, Gregorius Ariminensis, Franciscus Marronis, Gulielmus Occo: celeberrimus Scholasticus, Durandus à S. Porciano, Matthæus de Aqua Sponta, Nicol. IV. papa, Alanus de Insulis, Alexander de Alexandria, Petrus de Verberia, Michael de Cesena, Gerardus de Bononia, Nicol. de Lyra, & infiniti alii, quales Holcot, Tricot, & Bricot: postremus omnino Thomas Caieranus. Tot nimirum calami & miserum Lombardum exagitarunt, & seintricatissimis quæstionibus cruciarunt. Obiit Lombardus, Magister ille sententiarum, anno Domini 1164. die 20. Augusti. Gulielmus autem Abbas S. Theodorici, circa annum Dom. 1140. primus scripsit de fide, hoc titulo: *Sententiarum fidei liber unus*. Hinc *Sententia*, & *Sententiarum libri*, & *Sententiarum Theologi*, voces, audiri ceperunt, & usurpari. Gulielmi Abbatis exemplum & titulum imitatus P. Lombardus, scripsit libros IV. Sententiarum.

Eodem fere tempore, imperante Frid. Barbarossa, floruit Petrus, presbyter Treccensis, cognos-

mento Comestor, historiam vtriusq; testamēti Ecclesiasticam consarcinavit, eamq; glossis illi^o ætatis tum falsis, tū insulsiſſimis referciuit, quæ tamen ita tum vbiq; obtinuit, vt ipsi Scripturæ sacræ nudæ & puræ pœne præferretur. Opus suū dedicauit Gulielmo, Archiep. Senonensi. Passiua ac vulgaris fabella est, Petrum hunc, & Lombardum Magistrum Sententiarum, atq; item Gratianum, canonum Ecclesiasticorum collectore, fratres fuisse vterinos: quod multimodis refelli potest; ac inter alia eo, q̄ Comestor patria fuerit Trecentis, Lombardus sit Nauariensis, Gratian^o vero Hetruscus Historiam Comestoris compēdio constrinxit Gualtherus Hunterus, Anglus, professione Carmelita, qui & Venātius vocabatur, & ex hac vita decessit decrepita ætate, anno Christi 1478 temporibus Eduardi IV. Petrus v. Magister ille historiæ Scholasticæ, dictus fuit Comestor, quia tam crebro in suis concionibus & scriptis allegauit Scripturam, vt eam veluti comedisse videretur.

Cyrillus, impurus Monachus mōtis Carmeli, scripsit nouum Evangelium, circa an. D. 1200. quod à Monachis vehementer probatum est, eo quod dogmata Scholastica confirmabat, ritus supersticiosos Romanæ Ecclesiæ approbabat, ac Monachorum ordines, regulas, & instituta, ex ipsa, si Deo placet, Apocalypsi, impie deriuabat. Atq; hæ mundi tenebræ, terribilissimæq; tunc Ecclesiæ status erat, in quo Scholastica doctrina & Theologia maximos tamē faciebat progressus: sed Dominus tandem tantarum Ecclesiæ suæ calamitatum misertus, Ioannem Valdorem ex-

citavit, civem Lugdunensem opulentum, qui verum Evangelium Domini nostri Iesu Christi ab Evangelistis scriptum curavit fideliter sibi in Gallicum sermonem conuerti, & conuersam ita assidue & attente legit, vt veram fidei doctrinā, Dei gratia, ex Evangelio Christi consecutus, falsum illud, & blasphemum Cyrilli Monachi Evangelium primus omnium ipse Valdo publice cōfutaret. Valdoni statim plures; ita eos, impellente Spiritu S. sese adiunxerunt, atq; in tam honesto pro Dei veritate certamine succenturiatores accesserunt. Deniq; à Gulielmo de S. Amore, viro pro illa ætate doctissimo, anno Dom. 1254. maledictum illud Cyrilli Monachi suppositumq; Evangelium assiduis concionibus impugnatum est, & tandem euersum.

Gulielmus Antisiodorensis, Episcopus eius loci, scripsit *Summam Theologiae*, Scholastico more, circa annum Domini 1208. post Lombardū, & Rupertum Linconensem Episcopum. primus autem Hugo de S. Victore, habitus sua ætate doctissimus, circa annum Dom. 1120. librum edidit, quem *summam suarum sententiarum* inscripsit. Hinc *summae*, & *summarum Theologicarum*, & *summistæ Theologi*, qui & iidem Scholastici, vocabulum nouum increbrescere cœpit.

Gulielmus parisiensis, Episcopus eius loci, varia scripsit.

Gualterus, Episcopus pictauiensis, primus edidit librum *Quodlibetorum*, magno orbis miraculo, circa an. Dom. 1240. Hunc titulum & argumentū alii ex eadē hac Schola postea imitari sunt. Inde quoq; *Quodlibetaria quæstiones* nate.

Eodem hoc tempore cœpit Alexander de Ales, siue Alensis, natione Anglus, Præceptor Bonauenturæ, & Thomæ, Irrefragabilis Doctor appellatus, commentari in libros IV. Sententiarum, à P. Lombardo ante istius ætatem annis prope centum editos. Hic quidem velut alter Alexander Macedo ausus est primus nodos illos Gordianos, qui sunt apud Lombardum, non soluere, sed disrumpere & secare.

Atque hi quidem quasi gradum quendam, & aditum ad Scholasticæ Theologiæ inquinamenta iecerunt. Sequitur Media Scholastica, quæ cœpit ab Alberto Magno, i. e. anno 1250. & durauit vsque ad Durandum de Sancto Porciano, qui vixit Anno Domini 1320. Habuit igitur hæc Media Scholastica Albertum Magnum, primum parentem & authorem, à quo orta est prima Scholasticorum secta, quæ dicitur Albertistarum. Albertus hic natus fuit ex nobili Bolsatensium familia Sueuica, Patre carpentario, ciue Lauingano. Monachus Ordinis Prædicatorum, in Theologia & Philosophia eruditissimus, factus est Episcopus Ratisbonensis in Bauaria, Anno 1259. ætatis 66. Lætionum adeo appetens fuit, vt Ratisbonensi Episcopatu se abdicarit, & priuatus Coloniae viuens publicis prælectionibus tantum vacarit. Philosophiam Aristotelicam, iam quidem in limen S. Theologiæ impudenter & temere à superioribus introductam, in intima & adyta ipsa sacrarii Christi intromisit, illique in ipso illo templo principem locum & primariam se-

dem collocavit. Superiores enim Scholastici Patrum quidem, sed Ecclesiasticorum duntaxat, dicta ipsi sacro & diuino verbo exæquabant, (quandoquidem in toto P. Lombardo nomen quidem Aristotelis legitur) Albertus vero, & qui ab eo profluxerunt, omnes scripta Aristotelis Philosophi diuino ipsi verbo ubique compararunt: adeo ut quæ vestigia exigua reuerentiæ erga Dei verbum restabant, à Media Scholastica prorsus extincta, & ex hominum animis deleta perierint. Obiit Albertus Magnus, Anno Domini 1280. ætatis 87. sepultus Colonia.

Ex eius Schola multi prodierunt discipuli, qui doctrinam Scholasticam late disseminarunt. Horum præcipuus & eminentissimus fuit Thomas Aquinas, Italus, qui Alberti Præceptoris sui vestigia secutus, eodem modo in Theologia tractanda versatus est: & sic deinceps alii. Eius discipuli appellantur Thomistæ. Euocatus ad Concilium Lugdunense, cum ad illud proficisceretur, è viuis excessit, Anno 1274. die 7. Martii, ætatis 50. Mortuum Iohannes XXII. Pontifex retulit in numerum diuorum, quinquagesimo circiter anno post, quam è vita decesserat. Vulgo vocatur Doctor Angelicus, ob acumen ingenii. Commentarii & disputationes eius subriles quidem sunt & argutæ, sed duo sunt, quæ in iis improbantur: Primum sermonis genus, omni ex parte barbariem redolens; deinde confusio doctrinarum, cœlestis & humanæ, Theologiæ & Philosophiæ.

phiæ. Abusus in Ecclesiam inuectos non probavit solum, sed etiam stabilivit, & cumulavit: Pontificiam dignitatem mirifice propugnauit. De indulgentiis quoque passim multa scripsit, in iisque largiendis Pontificem plane Regem constituit.

Bonaventura, dignitate Cardinalis, ex Franciscano ordine Balneo-regio in Etruria natus, obiit in Concilio Lugdunensi, Anno 1274. ætatis 53. Dicitur fuit Doctor Seraphicus. Prælegit sententias Parisiis. Eum Sixtus V. Pontifex, iam pridem circa annum Domini 1482. inter sanctos à Sixto IV. relatum, Ecclesiæ Doctorem pronunciauit, & Hieronymo, Augustino, Ambrosio, Gregorio P. P. quintum adiunxit; ac omnia eius scripta vndique conquistata & approbata, Constantii Samani Cardinalis studio ac cura edi, & tanquam canonica sine censura dimitti voluit.

Petrus de Tarentesia, Cardinalis Hostiensis, floruit Anno 1265. Vir in sacris literis doctissimus, Papa creatus est, nomine Innocentius V.

Vdalricus Argentinensis scripsit in Magistrum sententiarum.

Ægidius Romanus, acerrimus Thomista, floruit Anno 1290.

Henricus Gandauensis, Doctor solennis appellatus, circa annum Christi 1299. primum Parisiis Philosophiæ studia coluit, deinde Archidiaconus Tornacensis factus est.

Iohannes Scotus, nomine Duns, cognomine

mento

mento Doctor Subtilis, nobilissimæ Scoticæ sectæ author & Dux longè clarissimus, Ordinis S. Francisci Monachus, in primis curam & studium ad illustrandum sententiarum Magistrum contulit, & acumine disputationum, doctrinæque sublimitate omnes superavit. Thomæ Aquinatis perpetuus impugnator fuit: adeo ut quod de Carneade & Chrysippo scribit Cicero: idem de isto & Thomæ possit affirmari; nihil vel dicturum, vel scripturum fuisse hunc Scotum, si nihil Thomas prius vel dixisset, vel scripsisset. Tanta fuit istorum discordia fratrum. Qui Thomæ auspicia sequebantur, Thomistæ & Nominales: qui Scoti, Scotistæ & Reales dicebantur. Cæterum apoplexia correptus Scotus, Doctor subtilissimus, nimis festinanter pro mortuo humatus est. In tumulo autem, natura vim morbi discutiens, reuixit, & mugitu miserabili opem imploravit. Cum vero nemo esset qui subueniret, capite ad lapidem sepulchri alliso, tandem periit, Anno Domini 1308. sunt tamen, qui scribant, eum à discipulis, qui in mortem illius conspirarant, graphiis confossum esse Coloniae. Eius Sectatores dicti sunt Scotistæ. Fidelissimum discipulum reliquit Antonium Andream, qui inter plurima alia ingenii sui monumenta, magno compendio in breuem epitomen omnem Scoti doctrinam, quæ plurimis & maximis voluminibus continetur, redegit: præclarissima methodo, & insigni scribendi perspicuitate cuncta complexus, ut omnes difficultatum, & qua-

& quæstionum Sphynge prorsus sustulerit.

Habuit quoque hæc ætas media Alanum de Insulis, qui Doctoris Vniuersalis titulum consecutus est.

Augustinum item de Ancona, qui scripsit in Magistrum.

Nicolaus de Lyra, ex Iudæo factus Christianus, & Monachus Franciscanus, scholiis siue Commentariis perpetuis vtrumque Testamentum illustrare aggressus est, Anno 1322. Ad quam rem magnum adiumentum illi attulit literarum Latinarum, Græcarum, & Hebraicarum scientia. Ad Postillam Lyrani additiones scripsit Paulus Burgensis, ex Iudæo Christianus Episcopus factus, qui claruit Anno 1430.

Gulielmus Occamus, natione Anglus, Ordinis Minorum, Ioannis Scoti discipulus, scriptor acutissimus, excommunicatus est, Anno 1324. quod quædam aduersus Papam scripsisset. Profugiens ad Ludouicum Bauarum Imperatorem, æque tum excommunicatum, dixisse fertur: *O Imperator, tu me gladio defende à Papæ iniuriis; Ego te verbis ac scriptis defendam.* Acerime etiam impugnavit dicta ac scripta Magistri sui Scoti. Initium dedit quartæ sectæ Scholasticorum, qui vocantur Occamistæ.

Durandus de Sancto Porciano, Ordinis fratrum Prædicatorum, & postea Aniciensis Ecclesiæ Episcopus, scripsit in IV. libros sententiarum. Ei Thomæ doctrina & Sophistica displicuit, quasi omnis mali fons & caussa.

Sequi-

Sequitur Noua Scholastica, i.e. vltima & pessima certe quidem istius Theologiae ætas, quæ post Durandum, circa annum Christi 1330. cœpit ab Hereno de Boio, Britone & Carmelita, illius Cyrilli nebulonis, qui nouum Euangelium scripserat, blasphemio discipulo: & magno Ecclesiæ malo propagata est vsque ad annum Domini 1514. quo primum à Martino Luthero eueri cœpit, & ab iis, qui postea sequuti verum Euangelium docuerunt. Hæc ætas longe fuit impudentissima. Nam quæ modestia in superiori & Media Scholastica adhuc manserat, ne temere de quibusdam ritibus & quæstionibus adhuc dubiis affirmaretur, ista ætate sublata est. Et de rebus etiam abditissimis, & maxime arcanis, immò verò soli ipsi Deo notis, magistraliter affirmari cœptum est. Sic malum malo additum est, vt iam nihil pene ista postrema Scholastica esse potuerit deterius, nisi vniuersa Christiana doctrina funditus euerteretur.

NOVÆ SCHOLASTICÆ THEOLOGICÆ Doctores præcipui hi fuerunt.

Robertus Holkoth, Anglus, Ordinis Prædicatorum, Professor Theologiae olim in Academia Oxoniensi celeberrimus, & doctissimus, multa præclara ingenii sui monumenta protulit, & posteris reliquit. Claruit sub Ludouico Bauaro Imp. Peste demum extinctus est, anno 1349. sub Eduardo III. Anglorum Rege. Licet vero eius doctrina non sit omni ex parte